

**05**

**A**

**1894**





C. D.

De

DEFINITIONE

SUB PRÆSIDIO

M. ÆGIDII STRAUCHII Facult.

Philos. Adjunct.

disputabit

MICHAEL HENSCHEL Wittebergenlis

Saxo.

D. 26. Januar. hor. mat.

WITTEBERG. Typis Röhnerianis

Anno 1656.



Dr. C. D.  
DEFINITIONE  
UND ERGÄNZUNG  
DES  
ARTIKELNACHSCHLAGS



05 A 1894



Q. D. B. V.

Proœmium.



Uanta inter reliqua instrumenta Logica defini-  
tionum dignitas sit; jam dudum docuit ipse  
Philosophus L. 1. Moral. c. 7. ajens. Σπυδασιόν,  
ὅπως ἐριδῶσι καλῶς μεγάλην γὰρ ἔχουσι βροπὴν  
πρὸς τὰ ἐπιόμενα. Quibus verbis & laboriosum  
& utile esse definitionibus rerum explicare quid-  
ditates eleganter & nervosè monet. Rem verò ita prorsus se ha-  
bere non tantum alia quoq; definitionum encomia, quæ passim apud  
Philosophos legere sunt, sed experientia quoq; factis abundè edocet.  
Non docet prolixitas, non impropria & figurata locutio, quâ sæpius  
quidem delectamur, καὶ δὲ docemur. Definitiones verò sunt, quibus  
compendiosè & solidè informari possumus. Paucissima definitionum  
verba memoriâ tenemus diutius, quam verbosa Rhetorum scripta.  
Non equidem, sine difficultate & πωρδῆ eruitur ad legēs Logicō-  
rum accuratè formata definitione, ad nec sine utilitate Labor ille  
est, ut rectè exinde Scaliger Comment. in L. 1. Arist. de plantis scri-  
pserit: Nihil cordato viro dignius, quam definire. Ceterum cum  
tanta Definitionum dignitas sit, agedū definiamus, quid sit definire.  
Itaq; invenire quid sit definire, hujus discursus erit finis, quem, quo  
assequamur eò feliciter, distinctas adhibebimus Theses. Adjuvemus,  
qui sine fine est!

THESIS I.

Definitio est oratio explicans rei quiddi-  
tatem conversim.

§. 1. Quæ aliàs in unaquaque definitione circa defini-  
tum & definitionem ipsam annotari solent, breviter & hic re-

A 2

cen.

ensebimus. Itaq; definiti *ὀνοματολογία* ante omnia adducenda erit; circa quam occurrit (1.) Etymologia, quæ satis manifesta est. Dicitur enim definitio à finire, eò, quod fines essentiæ seu quidditatis alicujus rei explicet quasi & determinet. Siquidem officium legitimæ definitionis est, omnia, quæ ad quidditatem rei præcisè spectatam faciunt, definire, si non explicitè semper, saltem implicitè. Dicitur definitio *ὀρισμός*, rectè ait. Damasc. in Dial. c. 8, à metaphora finium, seu termini positionum terræ. Quæmadmodum enim finis, seu termini positio separat proprium uniuscujusq; sic & definitio seu terminus naturam unicujusq; separat ab alterius natura. Breviter: monstrat definitio fines rei Logicas essentielles, itemque fines monstrat actui intellectus, ne, dum rei essentiæ cognoscere laborat, vagetur ultra ejus limites. V. Petri Hurt. de Mendoza Summul part. i. Disp. X, sect. 2.

§. 2. Etymologiæ succedit II. *Homonymia*. Definitio enim (1.) alia dicitur *nominis alia rei*. Illa non tam explicat, quid res sit, quam quid nomen significet, ut Consul est, qui consulit patriæ, providens est, qui providet, seu præspicit. Jupiter dicitur quasi juvans Pater &c. At in definitione rei accuratius quidditas rei exprimi debet. (2.) Definitio rei triplex esse dicitur, *quidditativa*, quæ fit per partes rei essentielles, vel physicas, vel Metaphysicas, itemque Logicas, *descriptiva*, quæ fit per rei propria, vel accidentia, *causalis*, quæ res describitur per causas, ut Eclipsis est interpositio terræ, vel interpositio Lunæ, Tonitru est ruptio nubium &c. Vide Henr. Lud. Castanei Distinct. Phil. voce definitio m. p. 44. (3.) Definitio alia est *objectiva*, seu ipsa rei essentia, quæ definitur, item objectum explicatum, alia *formalis*, quæ est oratio explicans rei essentiæ, seu non est ipsa rei essentia, sed sermo de essentiæ rei. Prior significatio sæpè in scriptis Aristotelis obtinet, at posterior sæpius & hujus loci est. (4.) Definitio sumitur vel *pro medio demonstrationis*, vel *pro effectu ejusdem*, in priori sensu vocari alias solet *definitio propter quid*, at in posteriori vocatur *definitio quid simpliciter*, qua de re ita B. Martini Instit. Logic. L. V. P. 669. loquitur: *Definitio non est demonstratio τὰ τι ἐστίν, affectionum, sed efficitur, resultatq; ex demonstratione.* (5.) Definitio alia est perfecta, alia imperfe-

perfecta. Illa est, quæ vel ex partibus essentialibus physicis, materia & forma, vel Metaphysicis, genere & differentia constat. At imperfectarum definitionum multi dantur modi, quos in tabula quadam exhibet *Dn. Dannbauerus* Epit. Dial. ad p. 197.

§. 3. Denique quod (III) *Synonyma* Definitionis continent, varia eadem sunt. Ab Aristotele & Græcis Philosophis reliquis vocatur communiter *ὁρισμὸς*, ab *ὁρίζεν* quod terminare, finire significat; A Latinis solet etiam nonnunquam vocari *descriptio*. At latius hoc vocabulū est, quam quod cum definitione reciprocari queat; cum & partium & privationum & transcendentium descriptiones dentur, etsi eadem res definiri nequeant. Sed satis de nomine.

§. 4. In *definitione reali* occurrit (1) Genus (2) differentia, vel utriusque analogum. *Generis* locum occupat *Oratio*. Neque enim putamus facile accidere posse, ut definitio unico absolvatur termino, seu vocabulo. Non equidem nos fugit in definitione peccati Johannea *ἀμαρτία* rectè & nervosè definiri per *ἀνομία*. At una hirundo non facit ver. A potiori & frequentiori denominatio fieri debet. Neque privationum descriptiones norma perfectarum definitionum sunt, cum de illis sufficiat dixisse, quid non sint, & quidditas earundem, quippe quæ carent, explicari nequeat. Præterea adhibetur ibi vocabulum sono unum sensu multiplex. Accedit ad hæc, quod oratio non tam è verborum inopia, quam rerum copia æstimanda sit. Si nobis adeo beatis esse liceret, ut conceptus quidditativos unico vocabulo exprimere possemus, deprædicanda esset hæc felicitas. At cum vocabula fingere & civitate donare haud liceat, neque verò quæ ante fictionem obtinent vulgò, ejusmodi emphasin habeant, ut generis simul atq; differentia vices sustinere queant, retineamus definitionis genus pervulgatum, imprimis cum & Aristoteles in toto *Organo*, definitionis genus *λέγον* fecerit, etsi hoc ipsum vocabulum etiam per rationem exprimi queat, cum definitio exprimat formam, Forma autem sit ratio rei, itemque definitio maximè & omnium optimè satisfaciat quæstioni, quæ in rationem rei cujusque inquiritur.

§. 5. *Differentiam* quod concernit, dicitur in thesi, definitionem non quamvis, sed quidditatis orationem esse. Ita enim *Aristoteles* quoque hac de re loquitur Top. L. I. c. V. ἐστὶ δὲ ὁρῶμεν μὲν λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων. Latine diceret; est autem definitio oratio, quidditatem rei significans. Rectè & ad rem *Zabarella* L. III. de Meth. c. XIII. propria differentia, quâ ab alijs orationibus definitio separatur, est significatio quidditatis rei, omnis enim oratio est alicujus rei, vel aliquarum rerum significatrix; at sola definitio est significatrix quidditatis. Atque exinde est, quod non immerito *Subtilitatum* Magister ille *Scaliger* sæpius suum *Cardanum* exagitaverit, idque ideo, quod rara & non nisi per accidens eventura suis immiscuerit definitionibus; Hoc peccant, inquit Exerc. 3 17. sect. 4. tuæ definitionis; cum ex eo, quod est aliquando, constitutum vis id, quod semper esse debet. Audacia, inquis, est spes maxima &c. Sic male ageret, qui hominem definiturus, diceret eundem animal mortale, risibile &c. Caterùm notanter dicitur requiri ad definitionem, non ut aliquid rei, sed ut quidditatem rei explicet. Multæ enim alias dari possunt orationes, per quas responderetur ad quæstionem in quid, quæ tamen definitiones vocari nequeunt. Sic quidditativa oratio est; homo est animal, definitio vero non est. Hinc ad evitandam homonymiam addidimus vocabulum *conversim*, eò ipsò indicantes, reciprocare debere definitionem Legitimam cum definito. Hinc rectè definitio hominem sic: Homo est animal rationale; Reciprocè enim verum est, omne animal rationale est homo. Conf. *D. Scheibler*. Part. 2. Op. Log. c. XXX. p. m. 488.

#### THESIS II.

**Legitimæ definitionis requisita duo sunt;  
Genus & differentia.**

§. 6. Videtur hoc in confesso esse penes omnes. Quicquid enim per definitionem accuratam cognoscibile est, illud cum alio quopiam genericè convenire & specificè ab eodem discrepare oportet. Non definitur, quod singulare est, quia cum nullo inferiori ut superius convenit. Non definitur quod  
uni.



universalissimum est, quia à nullo discrepat. Rectè Scheiblerus l. cit. ait: Est autem utraque pars nempe genus & differentia necessaria. Nam in genere convenit species cum specie. Ergo illud adæquate non potest speciem definire. Differentia autem speciei non includit esse generale. Unde si illa sola poneretur, non significaretur per definitionem tota entitas definiti. Utraque igitur pars requiritur, ut genus sit veluti potentia, aut materia & subjectum: Differentia autem sit veluti actus & forma in ea. Neque nova hæc sunt, cum & Aristoteles olim non aliter philosophatus sit: *ὁρισμὸς ἐκ γένους καὶ διαφορῶν ἐστὶ* Definitio constat genere & differentia, inquit L. I. Top. c. VIII. Non hic sufficit conceptus latior, non strictior. Logicum instrumentum definitio est; in Logica ergo præparandum. Nequæ verò usque adeò rigidi rerum æstimatores sumus, ut putemus protinus in Logica principia pesimè impingere eum, qui, methodo arbitrariâ utens, non totidem verbis generis mentionem facit, imprimis si de genere nulla moveatur controversia. Quot quæso exemplo in Aristotele reperire licet? Quot in alijs, aliquin luculentis, Scriptoribus? Quamobrem si genus à nemine facile ignorari queat, vel quam proximè in eodem discursu antecesserit, sufficiet differentiam tantum, subintellecto genere, expressisse. Cæterùm requisita generis ad definitionem apti sunt (1) ut de pluribus prædicari queat Synonymicè, non æquivocè saltem. (2) ut è prædicamentorum classibus sit desumptum, quod enim in iisdem non reperitur, in definitione strictè sic dicta locò generis stare nequit. Atq; hoc est, quod significatur quoque in trito isto Canone: Genus & definitum debent esse in eodem prædicamento. Si in eodem. Ergo in aliquo (3.) ut sit proximum. Est enim inepta definitio, quæ conjungitur ultima differentia cum genere remoto: ut si quis dicat, hominè esse substantiam rationalem, vel Logicam esse qualitatem tradentem modum discurrendi &c. Et ratio quidem hujus requisiti evidens est, quia inter genus remotum & differentiam ultimam intercepta sunt multa quidditativa prædicata; quibus ignorat & ignoratur simpliciter homo, vel aliud quodcūq; definitum, ea essentialiter includens. Hinc Aristoteles L. VI. Top. c. IV.

ἐν ἀμαρτανεῖς εἰς τὸ ἑστίναν λέγει γένη, Peccat porro is, qui tran-  
siliens dicit genera. Conf. Mendozam Summul. part. I. pag. 159.  
Reliqua generis requisita alibi recensentur.

§. 7. Differentia verò, quæ alteram definitionis partem  
facit, non debet esse accidentalis, sed essentialis, s. specifica. Ac-  
cidentia enim, etsi rem concomitentur, non tamen quidditatem  
ejus explicant, cum ne quidditativa quidem prædicata sint.  
Atque hoc proculdubio Aristoteles intendit, quando: L. VI.  
Top. c. VI. differentia, ad definitionem aptæ, κριτήριον facit, ut  
ποῖν προσυθεμένη τῷ γένει εἶδος, constituat generi addita cer-  
tam speciem, quæ vero differentia hoc non facit, eam εἶδοποιόν  
διαφορῶν τῷ γένει, esse, Aristoteles negat. Atque exinde quoque  
esse arbitratur Thomas, quod individua definiri nequeant,  
quia, inquit, individua præter conceptum specificum nullam  
addunt specialem differentiam; sed Logicè accidentariam. De-  
finitio autem est conceptus quidditativus etiam Logicè, ac pro-  
inde non vagatur per individua.

### THESIS III.

Affectiones definitionis legitimæ sunt (1.)  
unitas (2.) adæquatio, seu reciprocatio  
(4.) notitiæ prioritas. (5.) brevitatis  
(6.) stylus affirmativus.

§. 8. Allegamus primò, idq; notanter Unitatem: Quod  
si enim quidditatem rei exprimere debet definitio, non potest  
non esse una. Si enim plures ejusdem rei definitiones essent,  
aut exprimerent eandem quidditatem eandem, aut diversam. Si  
eandem, non diversæ essent definitiones, sed eadem, si diver-  
sam, sequitur hoc ἀλογον unam & eandem rem plures habere  
essentias & quidditates, quâ ratione non Ens, sed entia descri-  
berentur, cum unius rei unica sit essentia completa seu quiddi-  
tas. Atque exinde est, quod entia complexa, qua talia, defini-  
ri nequeant.

§. 9. A1.

§. 9. Altera definitionis legitimæ proprietates, perspicuitas esse dicitur. Siquidem instrumentum Logicum, instrumentum docendi est definitio. At perspicuitas docet non obscuritas. Alibi quis exerceat sese in Rhetoricis, pauca multis edisserat verbis, utatur tropis & figuris, hic simplicissimum loquendi stylum usurpet. Hinc B. Martini Pædiæ L. IV. c. XIX p. 661. hoc format & inculcat axioma: Definitio quæ non constat, quoad ejus fieri potest, clarissimis & maximè perspicuis verbis: sed homonymis, translatis, inusitatis, improprijs, est vitiosa. Idem monet Mendoza l. cit. Definitio, inquit, debet esse clarior suo definitò, propria & non metaphorica, nam obscura & impropria est vitiosa, ut hæ: somnus est imago mortis. Homo est arbor inversa. quæ definitiones, aptiores sunt Poëtis & Oratoribus, quàm Dialecticis, quibus incepta est omnis locutio præter brevem & claram.

§. 10. Adequata seu reciproca esse debet Definitio, quippe cum quidditatem definiti completè exprimere debeat, ita, ut nihil sit in definito per definitionem haud expressum, alias enim ne nomine quidem definitionis ejusmodi oratio inadæquata dignari potest, cum fines seu terminos rei definito haud monstret. Non definiendus est homo per animal bipes carens plumis, ne quis ostendat deplumatum gallum & pro homine haberi velit. Non cum aqua definienda, dicendum est, esse elementum, quod difficulter suis continetur terminis, cum & aliud elementum hoc faciat. Τέλει ὁ ὀρισμὸς ὁ ἀντιθέτων πρὸς τὸ ὀρισθὲν Damasceni vox est Dial. c. VII l. Item ὕψιστος ὀρισμὸς ἐστὶν τὸ μὴ ἐλλείπειν μήτε πλεονάζειν.

§. 11. Porro notior definitio esse debet. Ita enim Aristoteles Topic. L. VI. cap. IV. Επεὶ γὰρ ὁ ὀρισμὸς ἀποδίδεται τῷ γνώσει χάριν τὸ λεχθὲν γνωρίζομεν δ' ἔκ τῶν ὅχόντων, ἀλλ' ἐκ τῶν προτέρων καὶ γνωριμωτέρων, Φανερόν ἐν, ὅτι ὁ μὴ διὰ τοῦτων ὀρισθόμενος, ἔχεται εἰ γὰρ ὀρισται πλείους ἔσονται τὰ αὐτῶν ὀρισμοί. id est: Cum definitio tradatur juxta id quod dictum est, cognoscendi gratia; cognoscamus autem non è quibusvis, sed è prioribus & notioribus, perspicuum est, cum, qui non.

Ex his definit, revera non definivisse, nam si definit, plures erunt  
ejusdem rei definitiones, quod argumentum, ut & alia, proli-  
xius exponit Aristoteles loco citato, quem vide. Neque vero  
necesse est ut dicamus definitionem definitio notioem esse co-  
gnitione confusa, ita enim non ubique se res habet. Scit rusti-  
cus se esse hominem, Probabile non est, ipsam accuratissime  
quoque scire definiendi methodum. At Philosophus rem di-  
stincte contemplaturus non alio procedit ordine præterquam  
hoc ipso, ut primo quid animal, post quid rationale sit in ho-  
mine cognoscat, quod si hos ipsos connectit terminos, prodit  
perfecta hominis definitio. Colligitur vero ex hoc ipso idem  
per idem definiendum non esse, neq; definitum seu explicite seu  
implicite ipsam definitionem ingredi debere, quod si enim hoc  
contingeret, non amplius notior definitio esset definito sed  
æque ignota, atque ipsum est definitum. Quod ipsum accu-  
rate explicat D. Dannhauer. L. cit. p. 181. Peccat igitur inquit,  
quoties definitum ponitur in definitione vel explicite vel im-  
plicitè. Implicitè quidem, cum loco alicujus contenti in defi-  
nitione sumi potest ejus definitio, ut expressè monet Aristote-  
les L. VI. Top. c. 3. usus exemplo isto, si quis solem astrum defini-  
ret die perspicuum: Sume loco diei ejus definitionem, quæ est  
latio solis super terram, hæc prodibit nugatio, sol est stella ap-  
parens in latatione solis super terram. Ex hoc principio offen-  
sum relata per sua correlata definiiri posse. In his tamen vitium  
nullum subest, philosophia practica est philosophia &c. sub-  
stantia secunda est substantia &c. quia defectus vocabulorum  
causa est, quod idem terminus repetatur in definitione, qui ta-  
men grammaticè solùm non Logicè idem est.

§. 12. Dicimus quinto brevitati in definitione stu-  
dendum esse. Quia enim præter genus & differentiam nihil ad  
definitionem legitimam requiri diximus, ultro patet accura-  
tam definitionem brevem fore, non quidem sensu, cum pro-  
fundus is sit & peramplus, sed sono. Hinc inconvenientiæ ar-  
guimus ejusmodi definitiones: Homo est animal sensibile &  
rationale, superflua enim vox sensibile est, cum in animalis

COM

conceptu includatur. Sic in definitione fortitudinis, quod sit virtus servans mediocritatem circa terribilia, omittenda erant servans mediocritatem, cum mediocritas in vocabulo virtutis contineatur. Si itaque in locum virtutis substituatur ejus definitio, hic exinde emerget sensus: fortitudo est habitus servans mediocritatem, servans mediocritatem circa terribilia. Similiter in definitione Metaphysicæ, quod sit sapientia, quæ contemplatur Ens quatenus Ens est, & quæ ei per se insunt, melius fieret si posteriora verba & quæ ei per se insunt omittantur cum Emphasis particulæ quatenus hoc inferat affectiones quoque Entis in Metaphysicis considerari debere, alias enim non quatenus Ens est ibidem consideraretur. Omnium vero vitiosissima definitio hæc est: Natura est principium quoddam & causa motus & quietis, in quo inest primo & per se & non secundum accidens. Et hæc ipsa, brevitatis nimirum, causa est, ob quam cum præstantissimis Logicis statuimus, particulas syncategorematicas, copulativas, disjunctivas & similes in definitione haud adhibendas esse nisi vel τὸ οὐδὲς urgeat, vel ejusmodi particulæ locum differentię expleant, ut in definitionibus proprij & speciei Porphyrianis, qua de re vide D. Dannhaveri Sylog. V. Canon. Log. Can. 15, 17. seq. Modos vero, quibus contra brevitatem per adhibita vocabula superflua in definitionibus peccatur, in distinctis Canonibus recensuit Martini Instit. Log. L. VI. cap. III. p. 921. seq. cumque, iidem præsentem materiam mirificè explicent, allegabimus eosdem, applicatio vero eorundem penes citatum autorem videri potest. Primus itaque Canon ita se habet: Quando aliquod nomen commune ponitur in definitione, quod vel tale sit, ut omnibus, quæ sub defini-tigenere continentur, inest, vel omnibus generibus tribui possit, ponitur aliquid in definitione superfluum, atque illam definitionem efficit vitiosam, hoc est, in definitione nihil sit transcendente &c. Secundus: Quando cunque aliquid in definitione ponitur, quò ablatò reliqua adhuc essentiam definiti explicant; superfluum aliquid in definitione est positum. Tertius: Quando aliquid in definitione ponitur, quod non omni-

bus ijs inest, quæ sub definito continentur, id superfluum est & definitionem reddit vitiosam. quartus: Quando idem bis aut sæpius in definitione vel actû vel potentia reperitur, superfluum est & vitiosam efficit definitionem. Quintus: Quando in definitione, in qua universale aliquid est positum, etiam particulare additur, quod sub eo universali continetur, aliquid superfluum in definitione ponitur & definitio redditur vitiosa. Tot & alijs forsitan modis contra brevitatem, definitioni propriam, peccari potest.

§.13. Denique verba affirmativa in definitionibus adhibenda esse diximus, idque propterea, quia in definitionibus explicandum est, quid res sit, non vero dicendum quid non sit. Deinde hoc patet ex eo, definitio & definitum (materialiter & in re idem sunt, etsi notionibus seu formaliter discrepant. At idem de se ipso negari nequit. Accedit ad hæc quod neque genus, neque differentia negativa esse possunt de genere patet. De differentia id testatur Aristoteles Lib. VI. Topic. c. 6. Ἐπὶ (ἀμαρτάνει) εἶν ἀποφάσει διαφῆ τὸ γένος. Καθάπερ τὴν γραμμὴν ὁρίζομενοι, μὴ κατὰ πλάτος εἶναι. οὐδὲν γὰρ ἄλλο σημαίνει, ἢ ὅτι οὐκ ἔχει πλάτος. Præterea peccat, si negatione dividat genus, ut ij, qui lineam definiunt esse longitudinem latitudine carentem, quod nihil aliud est, quam non habere latitudinem &c. Notandum verò sermonem nobis esse de proprijs definitionis non vero cujusque descriptionis. Hinc thesi nostræ non obsunt descriptiones privationum, quæ sine negatione fieri nequeunt, neque descriptiones Entis perfectissimi ad quod cognoscendum opus interdum habemus viam negationis ingredi, unde est quoad ajunt; facilius esse de Deo dicere quid non sit, quam quid sit. Denique multæ voces videntur quæ sonum negare, quæ tamen quæ sensum affirmant, & easdem in definitionibus rectè adhiberi non dubitamus. Plures enim sunt res, quam vocabula, nedum quoad sonum quoque affirmativa. Vide Canon. Sthalij Tit. XII Reg. 10. p. m. 197. Honold. Canon. Libr. I. Cap. XXXIII. can. 8. p. 463.

THE

Definitio alia dicitur perfecta alia imperfecta.

§. 14. Definitio perfecta est tantum earum rerum, quæ directè in prædicamentorum classibus continentur & quarum genus proximum & differentiam specificam scimus. Unde fit ut solas species perfectè definiri posse eruditi tradant, id quod suo tempore docuit Aristoteles; quando L. III. Metaph. cap. 4. ita concludit: ἢ ἔσαι ἄρα ἕδενι τῶν μὴ γένεσι εἰδῶν ὅτι ἀρχιον τὸ τί ἦν εἶναι, ἀλλὰ τῆτοις μόνον. Non ergo ulli eorum, quæ non sunt species Generis, inerit, quod quid erat esse, id est, definitio. Sed his solum.

§. 15. At definitio imperfecta est earum rerum quæ ob summam imperfectionem, vel incompletum & imperfectum essendi modum, vel illimitatam universalitatem vel denique singularitatem suam accuratè definiri nequeunt. Sufficit itaque ad definitionem imperfectam conceptus (1.) Limitabilis, etsi genericus strictè sic dictus non sit. (2.) Limitans, per quem Latitudo illius restringitur ad certam rem denotandum. Imo imperfectæ quoque definitiones sunt earum rerum, quæ ut ut alias in se perfectè definibiles sint, à nobis tamen ob ignorantiam differentia specificæ, cujus locum propria complent, actu definiri nequeunt, ut si quis canem per animal Latrans, equum per animal hinnens definiat, imperfectè has perfectas species definit. Et tales descriptiones Verius, quàm definitiones in physicis adhibere opus habemus, cum ne formam Lapidis sciamus. Nomina Tu lapidis, inquit Scalliger Exerc. 307. sect. 12. qui quotidie Tuis oculis obversatur, formam: & Phyllida solus habeto. Nego Tibi ullam esse formam nobis notam plenè & planè: nostramque scientiam esse umbram in sole. Formarum enim cognitio est rudis confusa:



nec nisi per *ἄπειρος*. &c. Idem sect. 21. Exercit. citatae, de ignorantia humana conqueritur hunc in modum: Dicatur mihi, quid est Cananitas, Asinitas, Leonitas. Tam equidem notum est nobis horum quidvis, quam quod ignotum. Definiamus lapidem illum ipsum qui praepedibus est. Nugae Terram definimus à soliditate & pondere. Ignis quid est? Substantia quae ad cavum Lunae fertur. Hoc habes à sensu. Quid ipsa illa substantia sit, plane ignoras. Sed sicut vulpes elusa à Ciconia lambimus vitreum vas: pulsem haud attingimus. Hoc Eruditis Viri de ignorantia humana est testimoniū, quod confirmant ejus verba, cum ne imbecillitatem intellectus nostri sine imbellicitate explicare queat, adducens nimirum illud de igne sub concavo Lunae figmentum.

§. 16. Apparet verò ex ijs, quae adducta sunt hactenus definitionem imperfectam improprie sic dici. Neque enim quidditatem, sed potius qualitatem rei exprimit. Non dicit *ἰσίαν*, sed aliquid *ἰσίας*; Imò saepe non nisi quod profus extracessentiale est. Neque unica semper est, ejusmodi definitio, cum accidat saepius, ut unum idemque definibile pluribus accidentibus seu proprietatibus gaudeat. Interim cum Sceligero Loc. cit. dicere necesse habemus: Quod possumus ergò hoc agamus, tanquam Oeconomi moderati. Quò sapientissimò monito discursum hunc finimus, plura quae restare videntur, reservantes discursui.

S. D. G.

Ad



Ad  
*Præstantissimum & Literatissimum*  
**Dn. RESPONDENTEM,**  
Amicum atque Conterraneum suum  
colendum, publicè disputantem.

**Q**ui quavis acere Sophos, HENTSCHELLI doctæ, Stupens  
nati, te ratio mentis acuta juvat.  
Ut possis omnes nodos, rectumq; sophismæ  
solvere, judicij vis generosa facit.  
Cujus participem Pallas te fecit amica,  
Hinc quod dissertas, mentis acumen babes.  
Sudâ, Pro foribus jam expectat gloria factis:  
Huic pandet Virtus ardua spontè fores.

*gratulab. scribi.*

**M. Paulus Philippus Röberus**  
SS. Theol. Studiosus.



Dr. RESTON DENTON  
M.A.

AMERICAN COLLEGE

AMERICAN COLLEGE  
OF THEOLOGICAL STUDIES  
AND  
MINISTRY  
OF THE  
METHODIST EPISCOPAL  
CHURCH  
SOUTH  
AT  
ANDREWS  
UNIVERSITY  
BIRMINGHAM, ALABAMA

THEOLOGICAL STUDIES

M. Paulus Philippus Roberus  
S. Theol. Studialis



05 A 1894

ULB Halle

3


003 778 398



V077







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
[Color patch]	[Color patch]	[Color patch]	[Color patch]	[Color patch]	[Color patch]	[Color patch]	[Color patch]	[Color patch]

34

SIONE

SIDIO

AUCHII Facult.

unct.

VVittebergenlis

bor. mat.

s Röhnerianis

6.

